

anno 1559, ad plures abiit. Quidam laudato Scrip-  
tori opusculum istud, nomini Thomae suppositum, tri-  
bui debeat? Opus aliud ejusdem argumenti, quod  
vocat « magnum librum » profert Petrus de Alva  
et Astorga, ab « Hervaeo de Landa » ( ut ait ille,  
« corrigere vero et lege » de Cauda ) compositum.  
Quid facilius, quam Thomae supponi potuisse  
Opusculum, quod ejus, discipuli elucubrarent? At  
« magnum librum » quem vocat Petrus ille, ani-  
madverte « unico folio » totum et integrum com-  
prehendi, quod propriis vidit oculis Jacobus Echar-  
dus in Codicibus Mss. duobus, Victorino et Sor-  
bonico. Quid vero demum? Thomae doctrinae  
destraxerint quidpiam hujusmodi opera ab ejus di-  
scipulis concinnata? « Non insto ( verba sunt lau-  
dati Echaridi in ejusdem Hervaei elogio ) hinc  
« adversus Sancti Thomae doctrinam sequi nihil.  
« Quot apparentes Sacrae Scripturae *veridicitas* in  
« concordiam reducere studuerunt? Imo argumen-  
« tum est summae de aliquo Auctore existimationis,  
« cum omnia ejus verba expenduntur: et quae  
« variis locis ab eo dicta in speciem repugnare  
« videntur, plane consentire ostenduntur. De aucto-  
« ribus, quorum non est usus quotidianus, non  
« tanta est cura ». Ceterum « Retractionem »  
« operum suorum aliquam fecisse Thomam, fatetur  
« omnes: illam scilicet, non aliam, quae aliquibus  
« paucis in locis prostat in « Theologica Summa »  
« postremo veluti ejus testamento.

IV. Ad vindicias gradum facit Zornius, quas  
pro Aquinate adornavit « Vincentius Bandellus, non  
« ascripto proprio nomine. » Tum « Bandello tam-  
« quam parastata adjungo ( inquit ) Joannem Ca-  
« preolum, Aegidium de Columna in Defensorio,  
« seu Correctorio Librorum Sancti Thomae contra  
« Guillelmi Lamarensis Thomae Mastygis corruptio-  
« rium, Diegum Dezam in Defensionibus adversus  
« loca aliquot, in quibus Nicolaus de Lira Thomae  
« adversatur, Natalem Alexandrum etc. » Quam  
« inepta sunt, et chronico rerum ordini repugnantia,  
« quae disserit Hamburgensis Auctor? Liceat docere  
« ipsum, « Libellum de veritate conceptionis Glorio-  
« sae Virginis Mariae » a Vincentio Bandello, no-  
« mine proprio non ascripto, « anno 1473, » typis  
« Mediolani » mandatum fuisse apud « Christopho-  
« rum Waldarfer Ratisponensem. » Nomine ejus  
« proprio ascripto, Libellus alter « De singulari pu-  
« ritate et praerogativa conceptionis Salvatoris no-  
« stri Jesu Christi, per Fratrem Vincentium de Ca-  
« stro novo » ( nomen habes et patriam ) prodiit  
« Bononiae anno 1481. Mortem Bandellus obiit anno  
« 1506. Unde festum sane, quod hinc parastatam, »  
« socium, opitulatorem, auxiliarem, adjunxit Zor-  
« nius « Joannem Capreolum, » qui anno 1444  
« vita migraverat. Festivus etiam, eidem Bandello  
« et Capreolo » parastatam « adungi « Aegidium  
« de Columna » anno 1516 denatum: Genuinum  
« Operis, quod huic tribuitur, titulum praefert Editio  
« Veneta anno 1516. » Correctorium corruptorii  
« Fratris Thomae. » Titulum interpolatum editio-  
« nis Coloniensis a Gualtero Strevsdorf anno 1644  
« curatae, exprimit Zornius. Cur vero Bandello pa-  
« rastatam adungi Didacum Dezam, qui vindicias  
« licet Aquinatis egerit, longe tamen diversum argu-  
« mentum versavit? Operis ejus titulus est: « Defen-  
« sorium Doctoris Angelici Sancti Thomae Aquina-  
« tatis contra inveciva Matthiae Dorinck in Repli-  
« cationibus contra Paulum Burgensem super Bi-

« lia. » Natalis demum Alexander postremus est,  
« qui perperam Bandello adjungitur parastata.

V. Haecenus « de varia doctrinae a Thoma  
traditae « fortuna » apud Zornium: non varian,  
sed constantem fortunam ejus dixerim ego, secu-  
dam semper. « De genuinis Sancti Thomae scri-  
« ptis . . . . . variam ejusdem fortunam, inquit, vi-  
« dere liceat. In principio tantum vera Thomae  
« Opuscula 7 erant numero: deinde saeculo a morte  
« Thomae secundo, id est circa annum 1550, usque  
« ad 22 augebantur: mox saeculo tertio ad nu-  
« merum 38, et denique saeculo quarto accessio  
« facta est Opuscularum 128, aut secundum alias  
« 170, ne dicam ex illo tempore magis magisque in  
« dies novas sub Thomae nomine merces obtru-  
« sas esse. » Petrum de Alva et Astorga transcri-  
bit ille: depravat etiam. Haec eadem namque pro-  
fert ille de Thomae operibus generatim, sive ma-  
jora, sive minora intelligas, quae vulgo « Opuscula »  
dicuntur: tum rationem aliam de hisce « Opusculis »  
inendam proponit. Verba ejus accipe in Noto  
indissolubili. « Opera ( non Opuscula ) Sancti  
« Thomae, quae ab initio tantum erant 7, admissa  
« ut legitima, saeculo secundo creverunt usque ad  
« 20, et saeculo tertio ascenderunt usque ad 38,  
« et modo circumferuntur 128, vel secundum a-  
« liam suppositionem 170. Opuscula item parva,  
« ubi initio tantum erant tria, creverunt usque ad  
« septuaginta tria. » Haec effutire potuit Petrus  
ille, probare nunquam: ejusdemque adserta ad ve-  
ritatis lanceam minime exegit Zornius. Nostratum  
Dissertationes uberrimae prostant: quo etiam de  
argumento a me dictum hinc in Dissertationibus.  
Quam egregie vero Zornius subdecat rationes suas  
admonendum est. Nempae « saeculum a morte Tho-  
« mae secundum » desinit « circa annum 1550.  
Ad superos evolavit Doctor Angelicus anno 1274:  
unde colligo ego, ad annum 1350, nonnisi medium  
primum saeculum post mortem ejus effluxisse.

« Tanto malo mederi voluit Pius V Pontifex:  
« ejus enim jussu, a Patribus Praedicatoribus Tho-  
« mae Opera junctim sunt edita, eo quidem or-  
« dine et consilio, ut quae genuina essent, ma-  
« joribus litteris et typis exseriberentur: falsa et  
« suspecta minoribus. » Ad genuina discernenda  
« ac suspecta, non opera quaeque Thomae, sed « O-  
« puscula » tantum, tota pertinet haec Romanorum  
« editorum cura. Non ex fonte hauriebatur aquam  
« Zornius, sed infecto ex rivulo. » Constat hanc i-  
« psam editionem perisique Scripioribus Pontificis  
« exigui ponderis videri . . . . . Joannes Ludovicus  
« Schonlehenius Tomo III, de Virginis conceptione,  
« Iudi operam ait ab illis, qui vera a falsis, ge-  
« nuina a subdititiis distinguere allaborent . . . .  
« Caesestinus Sfondratus in Innocentia vindicata  
« toties regerit, vitata et corrupta esse Thomae  
« scripta. » Vitia typographica passim occurrere  
« in Romana editione Pii V, indicat nemo. Hujus-  
« modi prelii errantis labes detergere praesertim in  
« Commentario Sententiarum, » in « Catena Au-  
« rea, » in « Summa Theologica, » in « Opusculis »  
« curarunt Franciscus Garzias anno 1378, Cosmas  
« Morelles anno 1612, Gregorius Donatus anno 1619,  
« tom Lovanienses et Duacenses Theologi, Petrus  
« Pellican anno 1636, Joannes Nicolaus anno 1637  
« et 1660, Editores Patavini anno 1698. His addo  
« Thomam Madalenam anno 1719. Quod si Roma-  
« nam istam editionem maculatam dixeris, vitis in-

terpolatricis manus, quae sententias mutaverit, aut  
alienas invexerit, calumniam instauras toties pro-  
tritam. Hujusmodi vitiorum exempla adduci solent  
ex capite 5 ad Romanos Lectione 5, et Capite 5 ad  
Galatas, Lectione 6, et Opusculo de Salutatione Ange-  
lica, Dist. 5, Quaest. 1, Art. 1, Quaest. 2, et 3  
P., Quaest. 27, Art. 4. Satis Petro Zornio fuit ad-  
monuisse, « vitata et corrupta » dici Thomae  
« scripta. Indicata loca ad trutinam ego redegei omnia,  
vetusta edita exempla lustravi, manuscriptorum, qui  
inveniri poterunt, perlegi codices, textus antee-  
cedentes contuli et consequentes: eademque depre-  
hendi variata nunquam, nec intrusa, nec mutilata.  
Dissertationes nostras consule. Adeo ne vero la-  
boriosum opus fuerit, « opera genuina » Thomae  
discernere « a subdititiis? » Praesidia praesto sunt  
omnia, quae ad similes argumenti examen requirun-  
tur. Peculiaris Thomae stylus, dicitio, methodus, do-  
ctrina, doctrinae consonantia, totidem sunt canones,  
qui lucem afferunt ad hujusmodi opera discernenda.  
Synchroani et suppare adunt Nomenclatores plures,  
qui diligentissimos operum ejus indices textu-  
erunt. Hinc « audiendi non sunt » ( Oudini verbis  
« utor Capite 15 ) Scriptores recentes, qui Sancto  
« Thomae Aquinati scripta ab antiquis collata au-  
« ferunt ex proprio capite, absque rationibus idoneis  
« aut demonstrativis, uti nostro ipso saeculo a  
« nonnullis factum est. » Intelligi Schonlehenium,  
Petrum de Alva et Astorga, Lauouium, ipsum Ca-  
simirum Oudinum, aliosque, passim praevius nostris  
in Dissertationibus reprehensos et exagitatos.

## CAPUT III.

*Rectissime Thomas contra Pelagianos aliosque  
Heterodoxos cum Ecclesia Catholica sensit. Calu-  
mnia est, ipsum docuisse, hominem in ne-  
gotio conversionis passive se habere. Vindiciae  
Joannis Duns Scoti.*

« I. Inter tot rerum vicissitudines ( cepto per-  
« git Zornius ) tandem fama atque auctoritas Sancti  
« Thomae se exeruit. Scotus famae surgenti invi-  
« dere sustinuit. Audiamus, quae hanc in rem  
« observavit celeberrimus Buddaeus in Commenta-  
« rio Historico-Theologico de Pelagianismo in Ec-  
« clesia Romana per Bullam Aquinesellianam  
« triumphantem. » Thomam scilicet a Pelagianis  
« commentis alienissimum ostendit, his adhaerentem  
« Scotum. Vicissitudines te narasse putas fortunae  
« Thomae: quae imo una semper constantissima fuit  
« uti apud amicos et benevolos, ita contra aemulos  
« aliquos, et hostes. Mirum vero, « inter tot rerum  
« vicissitudines » obtrudi Scotum, veluti inviden-  
« tem Thomae! Rectus chronicus ordo exposebat,  
« ut post censuras a Stephano Tempier latus, et ante  
« negotium Joannis de Montesono, ageretur de Jo-  
« anne Duns Scoto, cujus a Thomistica differens, jam  
« anno 1520, schola vigeat, dicta « Scotistarum, »  
« ut Pagius ostendit ad annum M.C.XC. n. 10. No-  
« lim ego Scoti Sancto Thomae adversantis consilium  
« penitus perquirere et scrutari: illud vero certum,  
« dissidium omne in opinionibus aut philosophicis  
« aut theologicis, quae minime ad fidem pertinent,  
« propugnatis ab Aquinate sistere.

Buddaeum, a Zornio vocatum, audiamus. « Ex-  
« titit Thomas de Aquino, vir magno et excellenti  
« S. Th. Opera omnia. V. 7.

« ingenio praeditus, qui veriora rectoraque perse-  
« xit; et Augustini vestigiis insistendo, Pelagianismo  
« torrentis instar orbem inundaturo, se opposuit.  
« Virum hunc non in hoc modo, sed in aliis quo-  
« que doctrinae caelestis capitibus veritatem co-  
« gnitam et perspectam habuisse, adeoque longe  
« rectius sentire quam hodie Romana Ecclesia  
« sentit, jam pridem docuit Joannes Georgius Dor-  
« schaeus in Libro, quo Thomam de Aquino con-  
« fessorum veritatis evangelicae, exhibuit Sectione  
« 8 Cap. 5. « His verba sua adiecit Zornius: » juvat  
« Buddaeum, » inquit, « producto in medium  
« uno alterove testimonio declarare, quae de vi-  
« ribus liberi arbitrii, deque necessitate et efficacia  
« gratiae mens ejus fuerit: » ipseque Zornius the-  
« sim illam addit, quae « hominem » enunciat « in  
« negotio conversionis passive saltem, ut Theologi  
« loqui solent, se habere. » Pro meritis Aquinas  
« celebratur vir magno et excellenti ingenio praedi-  
« titus. Elogium ejus Erasmus gratia nulla in ipsum  
« ductus, his verbis texerat in Annotationibus ad  
« Caput 1 Epistolae ad Romanos: « Meo quidem  
« animo nullus est recentium Theologorum, cui  
« par sit diligentia ( sicut Thomae ) cui sanius  
« ingenium, cui solidior eruditio: planeque dignus  
« erat, cui linguarum quoque peritia, reliquaque  
« bonarum litterarum suppellex contingeret, qui his  
« quae per eam tempestatem dabantur, tam dextre  
« sit usus. » Augustini vestigiis insistentem ipsum,  
« Opera ejus palam faciunt: ac Pelagianismo adversa  
« tradidisse documenta, res est competissima. Sed  
« Aquinatem nostrum « longe rectius » in eo, quod  
« ad gratiae divinae auxilia pertinet, sensisse dog-  
« mate, « quam hodie Romana Ecclesia sentit, »  
« commentum est Heterodoxorum audacissimum et  
« insanum. Rectissimum ille in ea fidei Catholicae  
« parte sensum habuit, propterea quod egregie ex-  
« pressit docuitque quod olim, quod hodie, quod  
« semper eadem tenuit Ecclesia Romana. Liberum  
« arbitrium, sicut ipsa docet, tueri Thomae ac  
« illustrat, post Adae culpam intactum sane, sed  
« attentatum, immune tamen a necessitate et co-  
« actione. Gratiae divinae auxilia, sicut Romana Ec-  
« clesia sentit, necessaria docet ad opus quodcumque  
« salutare, ad poenitentiam, ad dilectionem Dei, ad  
« conversionem, ad omnem quae justificationem praee-  
« cedit dispositionem, ad meritum. Gratiam efficacem  
« agnoscit, sufficientem distinguit, qua possumus praee-  
« cepta servare: quod utrumque dogma ab Ecclesia  
« Romana accepit. Haec anathemate perculit effica-  
« ciae illius modos, qui postea inveciti sunt, Luthera-  
« nos, Calvinianos, Jansenianos, ae etiam praedamna-  
« verat Thomae, arbitrii scilicet libertati inimicos.  
« Modos alios efficaciae, qui salva liberi arbitrii po-  
« testate dissentendi propugnantur in Scholis, eadem  
« permittit Romana Ecclesia: modumque suum ex-  
« ponit Aquinas, quem Doctissimi Viri amplectuntur,  
« ac Romani Pontifices commendant.

II. Nihil ergo juvat Buddaeum, nihil Zornium,  
praedicta indicare exempla, ut Thomam cum Ro-  
mana Ecclesia committerent. Dorschaei, quem lau-  
dant, vanissimos conatos in eodem tractando argu-  
mento jam olim compresserat Thomas Leonardi,  
qui singulari contra Doctorem Lutheranum edito  
opus Bruxelli anno 1661. Diligentiore liceat exa-  
mine thesim expendere, quam Thomae Aquinati  
attribuit Zornius. Putat ille docuisse Praeceptorem  
« Angelicum « hominem in negotio conversionis pas-

« sive se habere. Inscitia et insania est putidissima. » Inquit ille 1-2. Q. 115, Art. 3, « utrum ad justificationem impii requiratur motus liberi arbitrii? » Responsum accipe. « Dicendum, quod justificatio impii fit Deo movente hominem ad justitiam: ipse enim est qui justificat impium, ut dicitur Rom. 5. Deus autem movet omnia secundum modum uniuscujusque: sicut in naturalibus videmus, quod aliter moventur ab ipso gravia, et aliter levia (Philosophiae Aristotelicae exempla aequo patiaris animo), propter diversam naturam utriusque. Unde et hominem ad justitiam movet secundum conditionem humanae naturae. Homo autem secundum propriam naturam habet quod sit liberi arbitrii; et ideo in eo qui habet usum liberi arbitrii, non fit motio a Deo ad justitiam, absque motu liberi arbitrii. Sed ita infundit donum gratiae justificantis, quod etiam simul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiae acceptandum in his qui sunt hujus motionis capaces. » Motum istum et actum liberi arbitrii magis ut explanet, inquit Art. 4, « utrum ad justificationem impii requiratur motus fidei? Dicendum (inquit) quod sicut dicitur est (art. praec. 5), motus liberi arbitrii requiritur ad justificationem impii, secundum quod mens hominis movetur a Deo. Deus autem movet animam hominis convertendo eam ad seipsum, ut dicitur in Psal. 84 (vers. 7), secundum aliam litteram (apud Augustinum, et antiqua Psalteria): Deus tu convertens vivificas his nos. Et ideo ad justificationem impii requiritur motus mentis, quo convertitur in Deum. Prima autem conversio in Deum fit per fidem, secundum illud ad Hebraeos 2: « Accedentem ad Deum oportet credere quia est. » Et ideo motus fidei requiritur ad justificationem impii. » Haec non sinit doctrina Thomae. Rem splendidius declarat, Art. 3, inquirens, « utrum ad justificationem impii requiratur motus liberi arbitrii in peccatum? » Nihil hasitans ajentem sententiam profert: « Dicendum, inquit, quod justificatio impii est quidam motus, quo humana mens movetur a Deo a statu peccati in statum justitiae. Oportet igitur quod humana mens se habeat ad utrumque extremorum secundum motum liberi arbitrii, sicut se habet corpus localiter motum ab aliquo movente, ad duos terminos motus. Manifestum est autem in motu locali corporum, quod corpus motum recedit a termino a quo, et accedit ad terminum ad quem. Unde oportet quod mens humana, dum justificatur, per motum liberi arbitrii recedat a peccato, et accedat ad justitiam. Recessus autem et accessus in motu liberi arbitrii accipitur secundum detestationem et desiderium. Dicit enim Augustinus (Tract. 46 in Jo. num. 8), exponens illud, Mercenarius autem fugit: Affectiones nostrae motus animorum sunt. Laetitia, animi diffusio . . . timor, et animi fuga est . . . Progredieris animo, cum appetit: fugis animo, cum metus. Oportet igitur quod in justificatione impii sit motus liberi arbitrii duplex: unus, quo per desiderium tendat in Dei justitiam; et alius, quo detestetur peccatum. » Utrumque vero actum una caritatis virtus exercet: « quoniam ad eandem virtutem pertinet prosequi unum oppositorum et refugere aliud (ut ait ipse Thomas ad 1). Et ideo sicut

« ad caritatem pertinet diligere Deum, ita etiam detestari peccata, per quae anima separatur a Deo. » Disertissime Thomas docet, in impii conversione et justificatione motum requiri et actum liberi arbitrii, liberam fidem in Deum, liberam Dei dilectionem, liberam detestationem peccati. Quae cum ita splendida sint, caecitieri Zornius oportet, imo deliraverit sectae praedicti occupatus, thesim Thomae tribuens, quae « hominem » enunciat « in negotio conversionis passive se habere. »

III. Recte sententi Thomae in eo dogmate, quod gratiae divinae necessitatem spectat ad actus exercendos salutare, veluti adversentem inducit Sootum: « Joannes Duns Scotus, inquit, fuit ut « in aliis, ita hac quoque in re, ab eo dissentiens. . . Docuisse nimirum Sootum nonnulli observant « (vide Chennitium, Loc. Theolog., loco de Libero arbitrio Cap. 8), homines, sine gratia, naturae viribus posse exercere opera moraliter bona, « quibus de congruo mereantur gratiam gratum « facientem: addita ratione, nisi ponatur meritum « congrui, non posse Deum defendi ab acceptione « personarum. Quo ipso a Pelagiana haeresi non « procul se abesse Doctor subtilissimus satis testatus « est. » Quis unquam excogitasset, haec in « Programma suum intrudi a Zornio potuisse, « veriam Thomae fortunam in Scholis Pontificiorum, « praesertim Gallorum enarranti? Quae veluti Scoti verba ex Chennitio afferuntur, locum indicant in 4 Sent., Dist. 14, Qu. 2, ubi sic ait Doctor subtilis. « Peccator . . . potest ex naturalibus cum « communi influenza considerare peccatum com- « missum ut offensivum Dei et contra legem di- « vinam, et ut aversivum a Deo, et ut impediti- « vum praemii, et ut inductivum supplicii . . . » Et potest voluntas ipsum sub aliqua illarum rationum . . . detestari . . . Potest etiam ista detestatio esse totaliter circumstantiata circumstan- « tiis moralibus debitis . . . Iste autem motus dicitur attritio, et est dispositio, sive meritum « de congruo ad deletionem peccati mortalis . . . » Si est attritio perfecte circumstantiata in genere « moris, videtur omnino dispositio sufficiens ad « justitiam, in termino illius attritionis acquiren- « dam . . . Vel enim oportet dicere quod ju- « stificatur peccator sine omni dispositione suffi- « cienti de congruo ex parte ejus; et per conse- « quens difficile est salvare, quod apud Deum non « sit acceptio personarum. » Animadvertit, minime fidem fuisse Chennitii calamum in decerpendo Scoti textu, ipsunquae de suo addidisse verba illa, « sine gratia, » et illa, « non potest Deus de- « fendi. » Scotum suum pro virili nobiles ejus discipuli vindicarunt: satisque memorare mihi fuerit Vegam, Delfinum, Faventinum, et Antonium Biquaeum in latiore ejus loci commentario. Admonent omnes, « viribus naturalibus » addidisse subtilem Doctorem praesidium « influentiae communis; » et hanc « influentiam » Dei ideo « communem » dictam, quod « secundum legem ordinariam divi- « nae sapientiae datur juxta exigentiam causae, « et operis, et motivi: » adeoque demum auxilia gratiae divinae non excludi. Textus afferunt quamplures, qui mentem Scoti patefaciunt, Pelagianis commentis omnino adversam. Haec ne intellexerit Zornius?

## CAPUT IV.

*De Schola Nominalium, quos a Thomistis male habitos ait Zornius. Joannem Wesselum confudit cum Joanne de Wessalia: cujus errorem proscriptio justa ostenditur. Verae ac solidae Aquinatis laudes. Dieterici Zornii in Ecclesiam Romanam. Iniqui Jansenistarum comparatio cum Dominicis.*

I. A Scoto transit ille ad Nominales: « quorum doctrinam, ait, ipsis Auctoribus collegio et facultate Parisiensi ejectionis, publice proponi vetuerunt » Thomistae. Tum ex Baluzio, Libro IV Miscellaneorum: « Defensionem Nominalium refert, « Ludovico XI (anno 1475) oblata, qui potestulantibus Thomistis, Okami et Nominalium liberos et scholis eliminandos edixerat. Ignoscant mihi, si vagari cogor, vagantem ut insequar Petrum Zornium. Ignarum se praebet adversae fortunae quam passus est Guillelmus Okamus, qui post Roscellinum Compediensem, Nominalium scolarum erexit. « Vir quidem acris ingenii erat (minime suspectum Wadingi testimonium accipe in « Bibliotheca), sed minime sobrii: plus enim volebat sapere quam oportebat; nec timuit in eorum os suum ponere, et sacram deprimeret Pontificiam, nimiumque extollere Imperatoriam dignitatem. Insuper zelo et nimis ardenti defendere volens Franciscanae paupertatis excellentiam, timens incidere in manus Joannis XXII, « valde contrarii Minorum sententiae, fugit cum Michaelae Caesenate ad Ludovicum Bavarum, qui tunc Caesarem agebat: scripsitque intemperanter nimis contra Joannem. » Patebat attamen post ejus obitum schola Nominalium: qui nedom Thomistas, sed etiam Scoti asseclas aliosque scolasticos naeti sunt adversarios. Plus vero faventes Okamo, et Joannis XXI memoriae iniquiores fuisse Auctores articulorum, qui anno 1475 oblati fuerunt Regi Christianissimo Ludovico XI, sine partium studio adnotavit Natalis Alexander in Historia Eccles. Saeculi XIII, Capite 3, Art. 5. Nominalium historiam molli et propenso calamo narrat Jacobus Bruckerus in Historia critica Philosophiae, Tomo III, Periodo 2, Parte 2, Cap. 3, Sectione 5, § 28. Cur non vero, cum « Melancthon, » ut ipse ait « Lutherus, alique Nominalibus addicti essent? » At ipse demum testis est Tomo IV, Periodo 5, Parte 1, Libro 2, Capite 2, § 9: « Haec denique sectam « si non totam expiravisse, certe ad incitas redactam, monumentum non amplius inter Scholasticos recitantes mereri.

II. « Eadem ferme fata (inquit Zornius) habuit Joannes Wesselus Hermannii, qui et Basilii, cognomine Gransfortius, gente Friso. Is enim, cum soli Scripturae fidem omnem haberi vellet, neglecta Thomae, quem in disputando saepius flocci fecerat, auctoritate, ignis periculum adit, donec apud Gerardum Etenium et Jacobum Sprengerum ex Ordine Praedicatorum Inquisitores, errores ejurare, veniamque impetrasset. Ad annum 1479 negotium spectat: quo Moguntiae typis excusa prodierunt « Paradoxa D. Joannis de « Wessalia, sacrarum litterarum Doctoris, ac concionatoris Wormatiensis, cum Examine Magistrali ejusdem Joannis de Wessalia. » Novis typis impressa leguntur apud Orthavinum Gratium in

« Fasciculo Rerum expectandarum », Coloniae anno 1553, et Londini anno 1690, et apud Dargentraem anno 1729, in Collectione Judiciorum de Novis erroribus. Animadvertit, in his omnibus editionibus « Joannem de Wessalia » vocari: quem « a Joanne Wesselo Hermannii, a alias « Basilio Gransfortio » distinguendum jubet Guillelmus Cave in editione Coloniensi Allobrogum 1720, et Anonymus in Notis ad novissimam editionem. Quid hocce de negotio senserit ipse Gravius, ex ejus epistola profero « ad Lectorem Apologeticam », quae in caele Londinensis editionis prostat. « Quid tandem de Joanne Wessaliensi Theologo dicemus? Humana certe « creatura, et inveteratus silicernius. Itaque quae « putidas ille protulit vomicas, condemnatae sunt. « Geronticos enim in omnibus loquitur, senecionem « sese delirum, ac vetulum indicans insensatum. « Cujus etiam verba, germanice ab eodem prolata, « si justa lance ponderabimus, temerarium fuisse « hominem, nemo non cognoscat. Quapropter in « sempiternum illorum dedecus, et in bonorum « omnium acedificationem, convictae et condemnatae « eorum haereses in medium proferuntur. » Quae- « nam fuerint haereses istae, profert Guillelmus Cave: « E scriptis illius, inquit, excerpti errores in « medium sunt prolata, de Regula fidei: nihil enim « credendum esse voluit, quod in sacra Scriptura « non habeatur. De Sacramento Eucharistiae: in « quo substantiam panis non manere credit. De « indulgentiis: quas parum approbat. De Concilio « generalis auctoritate: quam fallibilem esse docuit. « De processione Spiritus Sancti: quomodo Filio aequae « ac Patri debere negavit. Deque alius Theologiae « placitis quamplurimis. Hosce (pergit Cave) pri- « mum tuebatur Wesselus (Wessalius): cum vero « ignem ab Inquisitoribus intuentari sentiret, ad « palinodiam descendit. Maxime id displicuit Theo- « logis magni nominis quibusdam Academicis: « qui nempe plus justo Wessalio favebant. An haec inter varia Theologorum placita, quae utrinque pro libito sustinentur, numeraverit Zornius?

III. « Thomae adversarii aliquando oppressis « (verba ejus sunt) vel in ordinem saltem coactis, idem Doctor Angelicus et irrefragabilis ad « Θεοπεποιθώς, evectus est culmen ». Tum referi ille miracula, visiones, revelationes, quae ad approbationem doctrinae Sancti Thomae spectant: itemque Romanorum Pontificum elogium in Bullis, Ordinum leges et constitutiones, ac Salmanticensis Academiae jururandum pro tutanda Thomae auctoritate propositum et emissum. Cum homine Heterodoxo non egerim ego, ut piis quae narrantur historiis fidem concilium, ac elogium vindex Romanorum Pontificum. Ueberri mihi haec de re prodierunt Tractatus. Egregie spartam hanc ornavit Joannes a S. Thoma in Tractatu « De approbatione et auctoritate Doctrinae Anglicanae Divi Thomae, » qui Tomo I. Theologiae praemisus prostat, ac seorsim etiam prodit Augustae Ubiorum, typis Joannis Basci anno 1658. Neque tamen sodales ac discipuli somniant unquam, « ad culmen Θεοπεποιθώς evectum fuisse » Magistrum suum. Laudat Joannis a S. Thoma sententia est: Disp. 1, Art. 5: « Dico « tertio: » Doctores catholicos, « qui sine irreverentia vel contemptu, sed ex alio motivo Divi Thomae doctrinam deserunt, et aliam sequuntur « etiam oppositam, nullam censuram mereri: sed « unumquemque in sensu suo posse abundare,

« sicut Scotus in multis Divi Thomae doctrinam impugnavit, sed hoc cum magna modestia et nulla irreverentia, sola disputatione, non aliis verbis agens. » Haec Zornius ignorabat, aut dissimulavit certe ad invidiam conflandam.

IV. Quorsum vero haec omnia? Queretis, amici optimi, (inquit) quid utilitatis ex hoc Programme ad vos queat redundare? Nimirum, cum constet ex Petri de Alva et Astorga libro, miraculis, visionibus et revelationibus pro Sancto Thoma allatis nullam fidem haberi a Franciscaanis . . . non indignari nobis posse quemquam, si Scripturis Pontificiis miracula, visiones et revelationes in medium adducentibus nullam fidem posthac praebuerimus. Quam fluxa, dubiaeque et ambigua sint Pontificum edicta, Bullae, Brevia et privilegia, ex iis magno numero apud Alvam utrinque citatis, affatim apparere credimus. . . . Sed mittamus Petri de Alva et Astorga librum: varium enim ejusdem usum esse videmus. Quis unquam credidisset, hunc denique finem « Programmati » imponendum fore, « de Varia fortuna S. Thomae Aquinatis in Scholis Pontificiorum? » Fatetur Zornius, « varium » libri Petri de Alva et Astorga « usum esse; » noveratque ex Jo. Andrea Schmidio, Scriptorem istam « studio parium infectum » opuscula elucubrasse in S. Thomam. Quis ergo non miretur, unam ejusdem Petri de Alva et Astorga auctoritatem afferri ad elevandum miraculorum fidem, et visionum ac revelationum, quae pro Sancto Thoma adducentur? Subit etiam miratio, Romanorum Pontificum diplomata traduci veluti « fluxa et ambigua » ob ea « quae magno numero apud Alvam utrinque citantur. » Pollicitus erat Zornius, non admissurum se Petri de Alva et Astorga adserta, nisi prius « ad veritatis lancem exigenda. » At unum, ut video, Petrum illum transcripsit, instituto nullo examine, neque oppositis vindiciis indicatis, quas expendit, pro Thoma Aquinate. Fae vero, miraculum aliquid, aut aliud quidpiam pro Thoma allegatum validis argumentis dubium fecisse Petrum de Alva et Astorga: an inde consequitur, Heterodoxis hominibus non indignandum, « si Scripturis Pontificiis miracula, visiones et revelationes in medium adducentibus nullam fidem praebent? » Mira et insana Zornii Lutherani Dialectica! Nihil ergo anceps dixerim ego, « nihil utilitatis » ex ejus « Programme », sive ad Heterodoxos, sive ad Catholicos, qui doctrinae Aquinatis minus favent, « redundare posse. »

V. Patellae denique suae operculum imponit Zornius: « Jam observemus, inquiens, quo tendant Romani Pontifices in componendis definiendisque libris consilia. Scilicet, cum Jansenii sectatores indignis modis ubique exagitantur a Romano Pontifice: Dominicanis vero eadem docentibus, nam utriusque, tum Jansenistae, tum Thomistae, Augustinum sequuntur duces, liceat esse salvis; Romanus Pontifex eo vela dare creditur, quocumque rerum secundarum status in hoc vel illo Monachorum ordine spiraverit. Adeo, inquit Schmidius in Histor. Bullar., ludit aula Romana dogmatibus sacris, eaque secundum utilitatem suam dimittit. » Delirae mentis haec sunt commenta. Non ludit dogmatibus sacris Ecclesia Romana. Dogmata fidei discernit a Theologicis Doctorum opinionibus: eaque credenda proponit,

ac illibata ut custodiantur invigilat: ac istas pro libito tradendas tuendasque permittit, utpote divina revelatione, quam Sacra Biblia ac genuinae traditiones complectuntur, minime detectas. His inimica inconcessis regulis, dissona quae producentur, et a quocumque procedunt, ferit anathemate dogmata, supereminata zizaniam evellens, bonumque triticum servans. Jansenianas theses reprobant, quas novit sacrae Scripturae ac omnium saeculorum Patrum consensu ex diametro repugnantes: sinit vero, ut in Catholicorum scholis placita Theologica tradantur, quae divinae gratiae oeconomiam et efficaciam ita exponunt, ut salva sint divinae fidei dogmata de gratiae necessitate ad salutares omnes actus, deque libertate arbitrii. « Jansenistae, inquit, et Dominicani eadem docent. » Neque Jansenii, neque Thomae Aquinatis, neque Dominicano opera salutaverit, qui sic effluit. « Utrique, reponis, tum Jansenistae, tum Thomistae, Augustinum sequuntur duces. » Par esset argumentum ejus, qui Lutheranos et Calvinistas et Catholicos eadem sentire contenderet propterea quod ex eisdem sacris Scripturis omnes, genuinae fidei dogmata isti, errores et haereses illi depravant. Satis vero haetenus egisse contra Zornium ineptientem et delirantem.

## CAPUT V.

*Adami Tribbechovii, Heterodoxi Saxo-Gothani, deliria, Infecta ejusdem censura in eas voces Seraph, Seraphim et Seraphin, itemque Cherub, Cherubim et Cherubin.*

I. Deliria et commenta, quae a Petro Zornio Heterodoxo eusa et vulgata refutamus plura, passim etiam occurrunt apud hujusce furfuris homines, pro data qualibet occasione bilem effundentes in Clarissimos Viros, quos « Doctores scholasticos » vocant. Centies inconcessis argumentis tametsi protracta fuerint a nostratribus, centies nihilominus ab illis refricantur, auritque gregi proponuntur veluti indubia: ac veteribus immo commentis nova semper adjiciuntur. Ita se gerentem video « Adamum Tribbechovium, qui Theologus primarius in Ducatu Saxo-Gothano » dicitur, in « libro singulari », quem edidit, « de Doctoribus scholasticis etc. » Secunda utor editione, quae Jenae anno 1719 curata est.

Ad sanctissimum Aquinatem pertinent quae scripta leguntur Capite 3: « Simul ac vero e medio Thomas excessit . . . vocata in examen ejus scripta, nec obstante Pontificia ( ut vocant ) canonizatione, multa ex iis haereses postulata, proscriptaque fuerunt. Videri de his poterit Henricus de Erphordia, qui et diploma Stephani Parisiensis Episcopi de anno 1524 recenset, « provocantis ad 1500 suffragia, et Praedecessorum suorum Episcoporum auctoritatem, Thomae doctrinam convellentium. Exiit praeterea Catalogus errorum Thomae, ut et Lombardi, a Parisiensibus condemnatorum, adjunctum editioni Lombardi, quam Jacobus Almainus Doctor Parisiensis « luei commisit. » Tot scilicet ductissima sphalmata, quot verba.

1. « Vocata, inquit, in examen scripta » Aquinatis, ac « multa ex iis haereses postulata, » proscriptaque fuisse. « Mendacia tria paucis haece efferuntur verbis: neque enim scripturum Thomae

peculiare examen institutum unquam fuit: neque ex iis haereses postulata sive multa sive pauca: neque tandem eorumdem lata proscriptio. 2. Haec attamen tentata narras, « non obstante Pontificia, » ut vocant, canonizatione, de anno 1524. Immo post sacram Aquinatis apotheosim, quam Joannes XXII. die 18 Julii anno 1525, decrevit, integritati doctrinae ejus consulens Stephanus de Bourretto Episcopus Parisiensis, litteris Gentiliaci datis « anno 1524 » ( stylo novo 1525 ), « die Jovis ante « sacros cineres. » idest die 14 Februarii: pro « comperto » habet: « dictum Confessorem Beatum, » et Doctorem egregium ( Thomam ) nihil sensit, docuisse, seu scripsisse, quod scientiae, « fidei, vel bonis moribus adversetur: » ac praeterea quorundam « articulorum condemnationem, » et excommunicationis sententiam ( a Stephano Tempier Praedecessore anno 1277, latis ) in « quantum tangunt vel tangere asserunt sanam « doctrinam sancti Thomae, ex certa scientia totaliter annullat. » 5. Hinc patet inscitia Tribbechovii, qui Parisienses Episcopos duos, ac litteras eorum diversas, ac distincta tempora imperitissime confundit. Neque tamen putes, Parisiensem Ecclesiam regente Stephano Tempier, Thomae scripta haereses postulata fuisse, eademque proscripta. Proscriptos equidem novemdecim supra ducentos articulos complectuntur ejusdem Antistitis epistolae: simulque errantes auctores indicant, sciolos ac impudentes quosdam studentes in artibus, « propriae facultatis limites excedentes, » quos inter Aquinatem numerare insania foret. Consule, quae Capite I contra Zornium disserimus.

4. Inter eos damnatos articulos plurimi sunt, aut certe vani et insani, aut execrabiles et erronei, ac haeretici: quos docuit nunquam S. Thomas, immo suis in operibus data opera prolifigavit. Sunt etiam theses alicuae paucissimae, ut summum quatuor vel quinque, quae verborum cortice tenui in Operibus Thomae prostrare, negat nemo: ipso etiam sensu, nedum verbis, putant aliqui. At satis, absque dubio, utriusque factum suis in litteris a Stephano de Bourretto, qui articulorum condemnationem irritam nullamque habuit, « in quantum « tangit vel tangere asserit sanam doctrinam « Sancti Thomae. » Adeo nempe Aquinatis dogmata, sive Philosophica, sive ad Theologiam pertinentia, integra pronuntiantur et ab errore aliena, ut si qui inter articulos a Stephano Tempier damnatos, reperirentur, quos ipse Thomas propugnaverit, non ipsi erroris damnandi sint, sed lata censura tollenda. Haec de re nos uberius egimus in nostris Dissertationibus 15 et 16. 5. Jamvero insanum illud exsufflatur commentum « de Stephano Parisiensi Episcopo, » qui « de anno 1524 ( 1525 ) « provocaverit ad 1500 suffragia, et Praedecessorum suorum Episcoporum auctoritatem, Thomae doctrinam convellentium. » Ecclesiam Parisiensem anno 1524 regebat Stephanus de Bourretto, qui Thomae doctrinam minime convulsit; sed ipsum « nihil sensit, docuisse, vel scripsisse » coram palamque pronuntiavit, « quod scientiae fidei vel « bonis moribus adversaretur. » Quinam sunt illi « Praedecessores Episcopi, » qui « Thomae doctrinam convulsisse » dicuntur? Ubinam prostant, aut edita, aut manu exarata, illa 1500 « suffragia » contra Aquinatem, ad quae « provocaverit » Parisiensis Antistes? Somnia sua venditat Tribbecho-

vius. 6. Testem advocat « Henricus de Erphordia. » At unus est, qui hoc aevo floruerit, « Henricus « de Hervordia, » civitate Imperiali Dioeceseos Mindensis in Comitatu Ravensburgensi. Trithemium sequutus, qui vocat ipsum « Henricum de Erfordia, » Turingiae civitate. In errore Tribbechovius incidit, alii etiam Nomenclatoribus communem. Ordinis Praedicatorum alumnus fuit, qui « Chronicon » elucubravit « ab orbe condito ad « annum Domini 1535. Ejus calamo putida excidisse commenta, quae profert Heterodoxus homo, credat nemo.

7. Pari demum inscitia et audacia « catalogum » recenset « errorum Thomae, ut et Lombardi, » a « Parisiensibus condemnatorum, adjunctum editioni « ejusdem Lombardi. » Prostat nimirum catalogus nonnullarum Thesium, quas a Magistro Sententiarum adsertas communis Doctorum sensus reprobant: quamplurimum articulorum, quos Parisiensis et Oxoniensis Facultates damnarunt, catalogi prostant: errorum index, in quos incidit Thomas, quosve praedictae sacrae Facultates proseripserint, nullus extat. 8. Praeterea non licet ejusdem Tribbechovii verba, « quae eodem quinto Capite habetur: « Franciscus de « Mara Franciscanus, Parisiensis Doctor, edidit librum anno 1288, quem Reprehensorium Thomae inscripsit. » Egregie « Guillelmus » de la Mare pro sua auctoritate nomen indidit « Francisci: » Itemque « Professorem et Doctorem « Oxoniensem » creat « Parisiensem Doctorem: » ac opus, quod auctor inscripserat « Correctorium « Fratris Thomae, » inscriptum praefert « Reprehensorium: » atque demum nobiles vindices plures, qui Lamaracum castigarunt, silentio praeterit omnes.

II. Ironia sequitur, quae eodem in capite textum quendam Aquinatis excipit, ac sugillat: « Quam « egregie ( inquit ) ac acute Thomae Seolasticorum « antesignanus distinguit 2 Sent., Dist. 9, num. 4, « inter Cherubim, Cherubin et Cherub. » Indicatum Aquinatis locum afferro ex Qu. 1, Art. 4, ad 7: « Dicendum, quod nomina ista desinentia in in, « ut Cherubin, Seraphin, sunt neutri generis pluralis numeri; et ponuntur pro toto collegio unius ordinis. Desinentia autem in im ( Cherubin, Seraphim ), sunt masculini generis, et pluralis numeri; et ponuntur pro pluribus personis unius ordinis. Sed Cherub et Seraph sunt masculini generis, et singularis numeri; et sic significant unam personam illius ordinis. » Animadvertendum est, rem aliter legi in Commentario in caput 6 Isaiae vers. 2. « Item notatur, quod « Seraphim scriptum per m, pluralis est, et neutri generis; et significat totum agmen illius ordinis. « Sed Seraphin singularis numeri est, et masculini generis; et significat unum tantum de ordine illo. » Locum istum convulsum puto, corrigendumque juxta priorem. Vulgatam aevo illo hanc fuisse regulam grammaticalem, satis indicat Albertus Magnus, qui eadem nona distinctione Libri 2 Sent., Art. 3 ad 3, sic habet: « Dicendum « quod in n terminata illa ( Seraphin, Cherubin ), « neutri generis sunt, et significant integrum agmen unius ordinis; et ideo pluralis sunt numeri. In « m autem terminata sunt pluralis numeri, et masculini; et significant plures personas de agmine illo. Sed Seraph et Cherub dicitur singularis « aliqua persona de agmine. Unde versus: Haec « Seraphim, dic, hi Seraphim, dic hic Seraph il-

lum. » Insigne ejusdem latinitatis, quae obtinebat aevo medio aut infimo, testimonium perhibet Joannes de Janua, ejusdem aevi Scriptor, in Catholico: « Cherub, iniquis (Cherubis, Cherubi) » Cherubim, cherubem, cherub, cherube; et pluraliter Cherubim per omnes casus, masculini generis per *m* scriptum. Item Cherub indeclinabiliter in singulari et in plurali pro eodem. Item hic Cherubim indeclinabiliter masculini generis, et scriptum per *m* tantum in singulari numero; et significat unumquemquam Angelorum de illo ordine. Et tunc debet dici: Sancte Cherubim ora pro nobis. Item pluraliter haec Cherubin et indeclinabiliter et neutri generis, et tantum in plurali scribitur per *n*: et significat illum ordinem Angelorum. Et tunc debet dici: Sancta Cherubin ora pro nobis. » Et secundum primam declinationem potest dici: « Sancti Cherubim ora pro nobis. » Haec ignorasse videtur omnia irrisor Tribbechovius. Haud me latet, ab Erasmo acerbe sigillari ac rideri Joannis nostri latinitatem: at cordati quique Viri animadvertant cum Doctissimo Echaro, ejusdem « Vocabularium esse non tam primae, sed mediae et infimae latinitatis: quod et suo et nostro saeculo « apprime necessarium. »

Hujusce tamen grammaticalis regulae rationem sumi nullam posse fateor ex lingua hebraea, quae Isaiae capite 6, hanc unam vocem habet שרפים « Seraphim; » et Ezechielis capite 10, כרובים « Cherubim; » itemque כרוב, « Cherub. » Ad

genus quod attinet ac terminationem, liberius egisse constat Graecos Interpretes, Adnotat Hieronymus in Epistola ad Damasum Papam « de Seraphim » num. 17, « Septuaginta, Aquilam, et Theodotionem Seraphim neutro genere transtulisse, Symmachum masculino: » habentque Dictionaria latina, « Seraphim et Cherubim » pluralis esse numeri, ac generis tam masculini quam neutri. In Hexaplis Origenis apud Montfauconium, et in Codice Alexandrino, et in Polyglottis Waltoni, voces illae utroque modo per *m* et per *n* desinentes occurrunt: nimirum *σεραφειμ* vel *σεραφουμ*, et *χερουμεμ* vel *χερουμεν*, ac *σεραφειν* et *χερουμεν*. Hinc ergo ansa fortasse data, ut latini aetatis mediae vel infimae Grammatici regulam statuerent de qua agimus.

Hanc itaque vocum illarum distinctionem quoad genus diversamque terminationem, neque Thomas neque ejus aetatis Theologi, veluti quidpiam « egregium, » et « acutum » excogitarunt. Vulgata apud Grammaticos latinitate usi sunt, ut majoris claritatis gratia Seraphim et Cherubim ordines, ac plures ex eodem ordine, ac unum denique et singularem, triplici voce appellarent. Neque tamen eidem regulae ac latinitati semper haesit Aquinas, qui 4 Parte, Quaest. 108, Art. 3, supremos duos Angelorum ordines vocat ordines « Seraphim et Cherubim, » non « Seraphin et Cherubin. » Hinc immerito Aquinatam irridet Tribbechovius, merito ipse irridendus.

EXPLICIT VOL. II. ET ULT. COMM. IN MAGIST. SENT.

## INDEX

DISTINCTIONUM QUAESTIONUM ET ARTICULORUM QUI IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

### LIBER TERTIUS

Prologus sancti Thomae . . . . . pag. 5

#### DISTINCTIO PRIMA.

pag. 6.

Propter quid Filius Dei carnem assumpsit. Quare Filius carnem assumpsit, non Pater, vel Spiritus sanctus. Utrum Pater vel Spiritus sanctus potuerit incarnari. An Filius qui tantum carnem accepit, aliquid fecerit quod non Pater vel Spiritus sanctus.

Quaestio I. — 1. Utrum Deum incarnari fuerit possibile. . . . .	7
2. Utrum Deum incarnari fuerit congruum. . . . .	9
3. Utrum si homo non peccasset, Deus fuisset incarnatus. . . . .	12
4. Utrum decesserit Deum tantum incarnationem suam differre. . . . .	15
Quaestio II. — 1. Utrum una persona sine alia possit carnem assumere. . . . .	15
2. Utrum magis conveniens fuerit Filium incarnari vel Patrem, vel Spiritum sanctum. . . . .	16
3. Utrum Pater potuit carnem assumere, et etiam Spiritus sanctus. . . . .	17
4. Utrum Pater et Filius et Spiritus sanctus possit eandem numero naturam assumere. . . . .	18
5. Utrum una persona possit assumere duas humanas naturas. . . . .	20

#### DISTINCTIO II.

pag. 22.

Utrum telam humanam naturam accepit, et quid nomine naturae intelligit. De unione Verbi et carnis mediante anima. Quod simul assumpsit carnem et animam Verbum, nec caro prius est concepta quam assumpta.

Quaestio I. — 1. Utrum natura humana sit prae aliis assumptibilis. . . . .	25
2. Utrum Filius Dei humanam naturam assumere debuit. . . . .	25
3. Utrum Filius Dei carnem humanam assumpsit, mediante anima. . . . .	26
Quaestio II. — 1. Utrum assumpsit carnem mediante anima. . . . .	29
2. Utrum natura humana sit assumpta mediante gratia. . . . .	51
3. Utrum caro prius fuerit concepta quam assumpta. . . . .	55

#### DISTINCTIO III.

pag. 53.

De carne assumpta, qualis ante fuerit. Quod nullus est sine peccato hic, excepta Virgine. Quare Christus non fuit decimatus in Abraham sicut Levi. Quare caro Christi non est dicta peccatrix, sed similis. Quod adversatur illi sententiae qua dicitur, carnem Christi non prius conceptam quam assumptam.

Quaestio I. — 1. Utrum beata Virgo fuerit ante sanctificata quam conceptio ejus liniretur. . . . .	56
2. Utrum beatissima Virgo per sanctificationem in utero fuerit totaliter ab originali mundata. . . . .	58
Quaestio II. — 1. Utrum Virgo aliquid active ad Christi conceptionem operata fuerit. . . . .	41
2. Utrum generatio Christi ex Virgine sit naturalis vel miraculosa. . . . .	45

Quaestio III. — 1. Utrum conveniebat Virgini Salvatoris conceptionem nuntiari. . . . .	pag. 44
2. Utrum annuntiatio debuit fieri per Angelum. . . . .	45
Quaestio IV. — 1. Utrum caro Christi in antiquis patribus fuerit peccato obnoxia. . . . .	47
2. Utrum caro Christi fuit in antiquis patribus secundum quantitatem determinatam. . . . .	48
3. Utrum solus Christus in Abraham non fuerit decimatus. . . . .	50
Quaestio V. — 1. Utrum corpus Christi fuerit ex purissimis Virginis sanguinibus. . . . .	51
2. Utrum conceptio corporis Christi fuerit subito, vel successive. . . . .	52
3. Utrum Christo sanctificari conveniat, scilicet ut indigeret sanctificatione. . . . .	54

#### DISTINCTIO IV.

pag. 55.

Quare Spiritui sancto tribuatur incarnatio, cum sit opus Trinitatis. Quare dicatur Christus conceptus et natus de Spiritu Sancto. Alia ratio quare dicatur natus de Spiritu Sancto. Quare Apostolus dicit Christum factum, quem nos fateamur natum.

Quaestio I. — 1. Utrum efficientia conceptionis Christi debeat appropriari alicui personae. . . . .	57
2. Utrum Christus, secundum quod homo, possit dici Filius Spiritus sancti. . . . .	58
Quaestio II. — 1. Utrum beata Virgo possit dici mater hominis Christi Jesu. . . . .	60
2. Utrum debeat dici mater Dei. . . . .	61
Quaestio III. — 1. Utrum illam conceptionem aliqua merita praecesserunt in antiquis patribus. . . . .	62
2. Utrum gratia sit naturalis illi homini. . . . .	63

#### DISTINCTIO V.

pag. 64.

Si persona vel natura personam vel naturam assumpsit, et si natura Dei sit incarnata. De parte quaestionis perplexa. An divina natura debeat dici caro facta. Quare non accepit personam hominis cum assumpsit hominem, quod quidam probare nituntur. Oppositiones quibus probatur personam accepisse personam.

Quaestio I. — 1. Utrum unio sit aliquid creatum. . . . .	66
2. Utrum unio sit facta in natura. . . . .	67
3. Utrum unio sit facta in persona, et si Christus est una persona. . . . .	69
Quaestio II. — 1. Utrum assumere conveniat diviniae personae. . . . .	70
2. Utrum assumere conveniat naturae. . . . .	71
3. Utrum conveniat naturae, remotis personis. . . . .	ibid.
Quaestio III. — 1. Utrum humana natura sit assumpta. . . . .	73
2. Utrum anima separata sit persona. . . . .	75
3. Utrum persona sit assumpta. . . . .	ibid.

#### DISTINCTIO VI.

pag. 74.

De intelligentia harum locutionum, Deus est homo, Deus factus est homo etc. tres sententias ponit. Prima est eorum, qui dicunt in incarnatione hominem quemdam ex anima et carne constitutum, et illum hominem